



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**P. Virgilio Maronis Aliorumque Poetarum Opuscula, Sive  
Lvsvs**

**Vergilius Maro, Publius**

**Antverpiae, 1566**

P. Virgilio Maronis Diræ Ad Battarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69268)



Et viola omne genus : hîc est & Spartica myrtus,  
 Atque hyacinthus : & hîc Cilici crocus editus aruo,  
 Laurus item Phœbi surgens decus : hîc rhododaphne,  
 Lilia' que, & roris non auia cura marini,  
 Herba' que thuris opes priscis imitata Sabina,  
 Chrysanthus' que, edera' que nitor, pallente corymbo,  
 Et Bocchus Libya Regis memor : hîc amaranthus,  
 Buphthalmus' que virens, & semper florida picris.  
 Non illinc Narcissus abest : cui gloria forma  
 Igne Cupidino proprios exarsit in artus,  
 Et quoscunque nouant vernantia tempora flores.  
 His tumulus super inferitur : tum fronte locatur  
 Eulogium, tacita format quod littera voces.  
 Parue Culex, pecudum custos tibi tale merenti  
 Funeris officium vitæ pro munere reddit.

Epitaphium  
culicis.

P. VIRGILII MARONIS DIRÆ

AD BATTARVM.

ARGVMENTVM.

Cùm bello civili inter M. Antonium, & Augustum habito, Cremonen-  
 ses M. Antonio fassissent, victoria potius Augustus, cùm in eos vltio-  
 ne puniendos animum direxisset, Arium Centurionem misisse traditur  
 ad diuidendos inter milites Cremonensis populi agros : sed cùm non suf-  
 fecissent, & vicinorum Mantuanorum agros diuisit : quocirca Virgi-  
 liani agri inter alios militibus dati sunt. Quod agrè ferens Maro, non  
 solum propter deperditos agros, verùm etiam propter amicam Lydiã,  
 in Mantua derelictam, hoc opusculum scripsit Virgilius, & Diras ap-  
 pellauit, hoc est, malæ fortunæ imprecationes in hostes factas.

Quid, in Fast.  
de Arione.

**B**ATTARE cycneas repetamus carmine  
 voces:  
 Diuisas iterum sedes, & rura canamus,  
 Rura, quibus Diras indiximus, impia  
 vota.  
 Antè lupos rapiunt hedi, vituli antè leones,  
 Delphini



Delphini fugient pisceis, aquila antè columbas,  
 Et conuersa retro rerum discordia gliscet  
 Multa prius; \* fuerit quàm non mea libera auena.

fient.

Montibus, & siluis dicam tua facta, Lycurge,  
 5 Impia. Trinacria sterilecant gaudia nobis.

Nec secunda senis nostri, felicia rura,  
 Semina parturiant segetes, non pascua colles,  
 Non arbuta nouas fruges, non pampinus uuas.  
 Ipsa non siluæ frondes, non flumina montes.

10 Rursus, & hoc iterum repetamus Battare carmen.

Effetas Cereris sulci condatis auenas:

Pallida flauescant æstu sitientia prata:

Immatura cadant ramis pendentia mala:

Desint & siluis frondes, & fontibus humor:

15 Nec desit nostris deuotum carmen auenis.

Hæc Veneris vario florentia ferta decore,

Purpureo campos quæ pingit auena colore.

Hinc auræ dulces, hinc suauis spiritus agri

\* Mittant pestiferos æstus, & tetra venena.

Mutant.

20 Dulcia non oculis, non auribus vlla ferantur.

Sic precor: & nostris superent hæc carmina votis.

Ludimus, & multum nostris cantata libellis

Optima siluarum, formosis densa viretis.

Tondemus virideis \* umbras: nec lata comanteis

frondeis, al.  
herbas.

25 Iactabis molleis ramos inflantibus auris,

Nec mihi sæpe meum resonabit Battare carmen.

Militis impia cum \* succedet dextera ferro,

succidet.

Formosæ que cadent umbra, formosior illis

Ipsa cades. veteris domini felicia ligna

30 Nequidquam nostris toties deuota libellis,

Ignibus æthereis flagrabunt. Iupiter ipse,

Iupiter hanc aluit: cinis hæc tibi fiat, oportet.

Thracis



Thracis tum Borea spirent immania vires:  
 Eurus agat mistam fulua caligine nubem:  
 Africus immineat nimbis minitantibus imbrem:  
 Cum tua cyaneo resplendens aethere silua  
 Noscet iter, ducens Erebo tua Lydia Ditis.  
 Vicina flamma rapiant ex ordine viteis:  
 Pascantur segetes, diffusis ignibus aura  
 Transuolet arboribus, coniungat & arbor aristas.  
 Pertica, quæ nostros metata est impia agellos,  
 Quæ nostri fines olim: cinis omnia fiant.  
 Sic precor, & nostris superent hæc carmina votis.  
 Unde, quæ vestris pulsatis litora lymphis,  
 Litora, quæ dulcibus auras diffunditis agris,  
 Accipite has voces: migret Neptunus in arua  
 Fluctibus, & spissa campos perfundat arena.  
 Quæ Vulcanus agros pastor Iouis ignibus arcet,  
 Barbara dicatur Libyca soror altera Syrtis.  
 Tristius hoc, memini, reuocasti Battare carmen.  
 Nigro multa mari dicunt portenta natæ,  
 Monstra, repentinis terrentia sæpe figuris;  
 Cum subito emerfere furenti corpora Ponto.  
 Hæc agat infesto Neptunus cæca tridenti,  
 Atrum conuertens æstum maris undique ventis,  
 Et fuscum cinerem canis exhauriat undis.  
 Dicantur mea rura ferum mare. nauta caueto  
 Rura, quibus Diras indiximus, impia vota.  
 Si minus, heu, Neptune tuis infundimus aris,  
 Battare fluminibus tu nostros trade dolores.  
 Nam tibi sunt fontes, tibi flumina semper amica:  
 Nil est, quod perdam ulterius merita omnia, dixi.  
 Flectite currenteis lymphas vaga flumina retro,  
 Flectite, & aduersis rursum diffundite campis.  
Incurrant.



- Incurrant amnes passim remeantibus undis,  
 Nec nostros seruire sinant erroribus agros:  
 Dulcius hoc, memini, reuocasti Battare carmen.  
 Emanent subito sicca tellure paludes,  
 5 Et metat heic iuncos, spicas ubi legimus olim:  
 Occupet arguti grylli caua garrula rana.  
 Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen,  
 Præcipitent altis spumantes montibus imbres,  
 Et late teneant diffuso gurgite campos:  
 10 Queis dominis infesta minantes stagna relinquunt,  
 Vnde relapsa meos agros peruenerit unda.  
 Piscetur nostris in sinibus aduena arator:  
 Aduena ciuili qui semper crimine creuit.  
 O malè deuoti pratorum crimine agelli,  
 Tu que inimica tui semper discordia ciuis.  
 15 Exsul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,  
 Miles ut accipiat funesti præmia belli.  
 Hinc ego de tumulto mea rura nouissima visam:  
 Hinc ibo in siluas: obstabunt iam mihi colles:  
 Obstabunt montes, campos nec adire licebit.  
 20 Dulcia rura valete, & Lydia dulcior illis,  
 Et casti fontes, & felix nomen agelli.  
 Tardius, ah, misera descendite monte capella,  
 Mollia non iterum carpetis pabula nota.  
 Tu que resiste pater: en prima, nouissima nobis  
 25 Intueor campos: longum manet hostis in illis.  
 Rura valete iterum; tu que optima Lydia salue:  
 Siue eris, & si non, mecum morieris. utrunque  
 Extremum carmen reuocemus Battare auena.  
 30 Dulcia amara prius fient, & mollia dura:  
 Candida nigra oculi cernent, & dextera leua:  
 Migrabunt casus aliena in corpora rerum,*

Prætorum

b

Quam



*Quàm tua de nostris emigret cura medullis.*

*Quamuis ignis eris, quamuis aqua, semper amabo.*

*Gaudia semper enim tua me meminisse iuuabit.*

*Inuideo vobis agri, formosa' que prata:*

*Hoc formosa magis, mea quòd formosa puella* 5

*Est vobis. tacite vestrum suspirat amorem.*

*Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit.*

*Vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis,*

*Et mea summissa meditatur carmina voce,*

*Cantat & interea, mihi quæ cantabat in aurem.* 10

*Inuideo vobis agri: discetis amare.*

*O fortunati nimium, multum' que beati,*

*In quibus illa pedis nivei vestigia ponet:*

*Aut roseis digitis viridem decerpserit uuam,*

*( Dulci nanque tumet nondum viticula Baccho )* 15

*Aut inter varios Veneris stipendia flores*

*Membra reclinarit, teneram' que illiserit herbam,*

*Et secreta meos furtim narrabit amores,*

*Gaudebunt siluæ, gaudebunt mollia prata,*

*Et gelidi fontes, anium' que silentia fient:* 20

riui, labentes  
currunt

*Tardabunt \*riui labentes currere lymphæ,*

*Dum mea iucundas exponat cura querelas.*

*Inuideo vobis agri: mea gaudia habetis,*

*Et vobis nunc est, mea quæ fuit antè, voluptas.*

Heu male

*\* At mihi tabescunt morientia membra dolore,* 25

*Et calor infuso decedit frigore mortis,*

*Quòd mea non mecum domina est. non vlla puella*

*Doctior in terris fuit, aut formosior: ac, si*

*Fabula non vana est, tauro Ioue digna, vel auro.*

*Iupiter auertas aureis: mea sola puella est.* 30

*Felix taure pater magni gregis, & decus: à te*

*Vaccula non vnquam secreta cubilia captans,*

*Frustra*



Frustra te patitur siluis mugire dolore.  
 Et pater hadorum felix, semper que beate:  
 Siue petis monteis præruptos saxa pererrans:  
 Siue tibi siluis noua pabula fastidire,  
 5 Siue libet campis: tecum tua leta capella est.  
 Et mas quocunque est, illi sua femina iuncta,  
 Interpellatos nunquam plorauit amores.  
 Cur non & nobis facilis natura fuisset?  
 Cur ego crudelem patior tam sæpe dolorem?  
 10 Sidera per viridem redeunt cùm pallida mundum,  
 In' que vicem Phœbe excurrens, atque aureus orbis  
 Luna tua est tecum: cur non est & mea mecum?  
 Luna, dolor nosti quid sit, miserere dolentis.  
 Phœbe gerens in te laurus celebrauit amorem,  
 Et \* quem pompa Deum, non siluis fama locuta est.  
 15 Omnia vos \* estis: secum sua gaudia gestat,  
 Aut inspersa videt mundo, quæ dicere longum est.  
 Aurea quin etiam cùm sæcula voluebantur,  
 Conditio similis fuerat mortalibus illis.  
 Hæc quoque prætereo, notum, Minoidos astrum,  
 20 Quæ que virum virgo, sicut captiua secuta est.  
 Lædere Cælicolæ potuit vos nostra quid atas?  
 Conditio nobis vitæ quò durior esset?  
 Ausus egon' primus castos violare pudores?  
 Sacratam' que meæ vitam tentare puella?  
 25 Immatura meæ quoque noxæ soluere fata?  
 Istius atque utinam facti meæ culpa magistra  
 Prima foret: lethum vitæ mihi dulcius esset.  
 Non meæ, non ullo moreretur tempore fama,  
 30 Dulcia cùm Veneris furatus gaudia primus  
 Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.  
 Nam mihi non tantùm tribuerunt impia vota,

quæ Pana Deū,  
 nisi  
 nostis



*Auctor ut occulti noster foret error amoris.  
 Iupiter antè sui semper mendacia furti  
 Cum Iunone, prius coniux quàm dictus uterque est,  
 Gaudia libauit dulcem furatus amorem.  
 Et mecum tenera gauisa est ludere in herba, 5  
 Purpureos flores, quos insuper accumbebat,  
 Candida formoso supponens brachia collo.  
 Tum, credo, fuerat Mauors distentus in armis.  
 Nam cerisè Volcanus opus faciebat, & illi  
 Tristi, turpabat que mala fuligine barbam. 10  
 Non Aurora nouos etiam plorauit amores  
 Atque rubens oculos roseo calauit amictu?  
 Talia Calicola. nunquid minus aurea promo?  
 Ergo quod Deus, atque Heros, cur non minor at as?  
 Infelix ego, non illo qui tempore natus, 15  
 Quò facilis natura fuit, fors ó mea leua  
 Nascendi, miserum que genus, \* & sera libido  
 Tanta meæ vitæ cordis fecere rapinam,  
 Ut maneam, quod vix oculis cognoscere possis. 20*

## P. VIRGILII MARONIS

\*CEIRIS, AD MESSALLAM.

## ARGUMENTVM.

Virgilius hoc opusculum ad Messallam dirigit, qui Augusti tempore ma-  
 gnis in rebus, præsertim militaribus, insignis: præterea orator non in- 25  
 dignus, & poeta erat. Ut igitur Maro beneuolentissimū illū sibi effice-  
 ret, Ceirim ad illum mittit, in qua præconium Messallæ celebrat. Hanc  
 autem de Scyllarum transformatione fabulam elegantissimè poeta  
 hinc describit.

Ceiris *κεῖρις* τὸ  
*κεῖρις* id est, ton-  
 dere dicitur:  
 quia totondit  
 fatalem criniū  
 apicem patris  
 sui Nisi, qui cō-  
 uersus in auem  
 Halyæctū per-  
 sequitur Ceirin  
 auem, quæ alio  
 nomine Scylla  
 appellatur.

Sic rectè scri-  
 psit Aldus ante  
 annos 32.

E *T si me vario iactatum laudis amore,  
 Irritá que expertum fallacis præmia vulgi 30  
 Cecropius suauis exspirās Hortulus auras  
 \* Florētis viridi sophiæ cōplectitur umbra:  
 Num*